



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum exemplar propriam rationem causæ cinstitutat, vel ad aliquam
aliarum reuocetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Ad secundum respondetur, illam locutionem, exemplar esse, ad cuius similitudinem fit effectus, & quod artifex imitatur operando, facile verificari de ipso conceptu formali, quia non sunt illæ locutiones intelligendæ de similitudine formali, quæ naturalis est, seu entitativa: sed de similitudine secundum representationem intellectualem, quam habet conceptus formalis, circa rem quæ exprimit, & hanc imitationem vel conformitatem, intendit artifex in sua operatione. illa verò locutio, quod artifex respiciens ad exemplar, operatur ad illius imitationem, non oportet, ut cum omni proprietate sumatur. Ortus enim videtur ille loquendi modus ex sensibilibus exemplaribus, quibus homines ob imperfectionem suam uti solent, & ad illa respicere ut ad obiecta proxima quæ imitentur. Verumtamen iam dixi huiusmodi exemplaria esse quali per accidens: per se enim exemplar internum sufficit & requiritur ad actionem, & illius imitationem immediatè intenditur: & ideo sufficienter posset explicari ratio exemplaris, dicendo, esse illud quo artifex sibi repræsentat rem quam effecturus est, vel illud imitatur, sed potius ut illius representationem expleat. Quia verò, ut diximus, ipsum etiam exemplar potest reflexè cognosci, & illa reflexio confert, ut perfectè & completè exerceat munus exemplaris, ideo propriè etiam verificari potest, quod artifex respiciens ad suum exemplar, operatur.

Tertium argumentum nullam habet difficultatē: nam multitudo idearum in Deo non est secundum rem, sed tantum secundum rationem, per respectus rationis ad diversas res creabiles, & ideo non repugnat, quod illa pluralitas vel distinctio rationis intelligatur in ipso met conceptu formali seu scientia Dei, Qualis autem & quanta sit illa pluralitas idearum, & per quem intellectum fiat illa distinctio, & respectu quarum rerum distinguendæ sint idæ, plus habet questionis de nomine, quam de re: illa verò qualifcunque disputatio Theologorum est, non nostra.

Ad quartum respondetur in primis supponere falsum: quod beati non formant verbis, verè enim concipiunt, Deum prout in se est, & ita formant in se conceptum formalem, quo sibi repræsentant Deum prout in se est: & ille conceptus est verbum, & non aliud. Vnde fit in Deo cognoscunt creaturas, etiā formant in se rationem seu verbum earū, & illud habere possunt vim exemplaris, si cum illo daretur vis operandi, quæ per tale exemplar dirigi posset. Adde præterea, Beatum videndo Deum & creaturam in Deo, etiam videre ideam quam Deus habet de creaturis, & ideo ipsum met conceptum formalem Dei posse quodammodo sub rationem idæ, etiam respectu alterius intellectus, cui per se & immediatè obicitur sed illud etiam esset remotè & mediatè: proximum enim exemplar semper est illud, quod ipsum operans in se met intellectu format.

SECTIO II.

Utrum exemplar propriam rationem causam constituat, vel ad aliquam aliarum reuocetur.

Supponit hæc questio exemplar verè ac propriè esse causam: id enim ex cōmuni sententia Philosophorū ac Theologorum ut certum sumimus: in his enim, quæ per intellectum operantur, per se necessarium est exemplar, ut rationabili modo possint actionem suam indefinitā ad effectum dirigere, nam cum à natura sua non sint limitata ad determinatas formas effectibus tribuendas, sicut natura agētia, oportet ut suo proprio & intellectuali modo determinentur. Quamvis autem quoad exercitium suæ actionis determinentur per voluntatem, tamen quoad specificationem & directionem ducuntur per intellectum: ad hoc autem indigent propriis

exemplaribus talium effectuum, ut artificioso & intellectuali modo possint illos efficere. Et quamvis Seneca epist. 66 existimet, hac ratione solum probari exemplar esse quid requisitum: non verò propterea esse inter causas per se numerandum, alioqui multa alia possent similiter per se inter causas recenseri. Nihilominus verius est per se pertinere ad aliquod genus causalitatis, vel aliquem causandi modum, quamvis fortasse non augeat causarum numerum, nec per se constituat novum causandi genus. Vtrumque autem declarabitur commodius, explicando ad quod genus causæ exemplar pertineat.

Exemplar nec materiale, nec finalem causam esse.

ET ut à clarioribus incipiamus, certum est, exemplar nec per se pertinere, nec reduci ad genus causæ materialis, quia nullam habet cum illa causā proportionem aut similitudinem, quia exemplar neque indicat potentiale quid, sed potius actuale formale: neque concurret aliquo modo recipiendo, sed potius suo modo actuando ac determinando. De causa vero finali posset aliquis dubitare, nam minus exemplaris esse dicitur, ut ad illius similitudinem vel imitationem effectus fiat, sed hæc est habitudo finis, ergo concursus exemplaris non est, nisi concursus quidā finalis. Minorem & discursum totum probo ex Diuo Thoma 3. cont. Gent. cap. 19. ubi hac potissimum ratione probat omnia tendere in Deum, ut in ultimum finem, quia omnia intendunt illi assimilari: ergo cōmutata ratione recte nos colligimus, cum Deus producit res ut ipsi assimilentur, cōcurrere ut finem earum, ac tunc concurrat ut exemplar: ergo. Imo in ratione 2. sic colligit D. Thom. *Agens dicitur finis effectus, in quantum effectus tendit in similitudinem agentis: sed Deus ita est finis rerum quod est etiam primum agens earum: ergo omnia intendunt sicut ultimum finem, Deo assimilari: Deus ergo ut est id, cui assimilatur creatura, habet rationem finis: ergo & ut imitabilis à creaturis; nam hæc verba esse imitabilem à creaturis & esse id cui assimilantur creatura, eandem habitudinem significare videntur, sed esse imitabilem dicit habitudinem causæ exemplaris: ergo coincidit cum habitudine causæ finalis. Vnde clarius in ratione 4. ait D. Th. res omnes creatas, esse veluti quasdam imagines primi agentis: perfectionem autem imaginis in hoc consistit quod repræsentet suū exemplar, ideoque omnes creaturas intendere hanc representationem ut finem suum. In quo discursu plane videtur exemplar cum fine confundere.*

Sed nihilominus authores omnes longe diuersam esse sententiam causalitatem exemplarem à finali, quia causalitas finis consistit in Metaphorica motione voluntatis: ratio autem exemplaris præcisè consistit in hoc quod sit forma determinans actionem agentis, ut sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 44. a. 3. Difficultas autē proposita procedit, ac si exemplar esset aliqua res cognita, quæ imitanda proponitur, & nō potius ipse met intellectualis conceptus rei. Ut vero omnibus modis respondeamus, admissio illo modo loquendi dicendum est, licet contingat eandem rem esse finem & exemplar eiusdem effectus, ut argumenta facta probant: tamen sub diuersa ratione causalitatis. Nam ut finis, mouet ad efficiendam sui representationem: ut exemplar verò, determinat actionem agentis, & quodammodo dat speciem effectui: vnde rationem finis exercet ut est quoddam bonum: rationem verò exemplaris ut est quædam forma. Addere verò possumus ad hoc magis declarandum, exemplar posse considerari, vel ut terminum quendam ad cuius imitationem tendit actio, vel ut principium dirigens ac regulans actionem agentis. Sub hac posteriori ratione exercet causalitatem exemplaris, nam prior magis pertinet ad rationem finis, quia sub ea ratione est id, cuius gratia actio fit. Cum enim Christi ima-

go depingitur, ut eū nobis repræsentet. re vera Christus, sub ea ratione habet rationem finis, & hoc etiā probat difficultas tacta. Et ideo mihi nō placet quod quidam aiunt, causalitatem exemplaris consistere in passiua imitatione rei factæ ad instar illius: nam hæc passiua imitatio fini propriè conuenit, quando in eo nihil aliud intenditur, nisi eius repræsentatio. Ideo in ipsamet actione passiua distinguendum est, an sumatur ut alliciens affectum, an ut determinans, & quasi specificans actionem, seu formam per eam inductam; nam sub priori ratione pertinebit ad causalitatem finis, sub posteriori ad rationem exemplaris.

IV.

Et propter hanc causam probabilissimum existimo, propriam causalitatem exemplarem, distinctam à finali, per se reperi in interno conceptu formaliter exprimente & repræsentante rem arte efficiendam: nam licet per actionem intendatur conformitas cum illo conceptu sic repræsentante, non tamen intenditur ut finis actionis, formaliter loquendo, de conformitate, sed intenditur ipsa forma in qua est conformitas: ipsa vero conformitas solum attenditur ut commensuratio quadam, & quasi regula formæ inducendæ. At vero in exemplari externo distinctione opus est, nam illud magis induit rationem finis, maxime quando per se intenditur eius repræsentatio, propter eius honorem, aut aliquid simile: aliquando vero etiam habet solam rationem mensuræ & non finis, ut quando artifex exterius conficit paruum idolum totius adificii, tunc enim intendit conformitatem ad illud, non tanquam finem, sed tanquam regulationem, ut sic dicam.

V.

Et simili modo videtur satis probabiliter dici posse (distinguendo in Deo secundum rationem ideas intellectuales, prout à nobis sunt explicatæ sectione præcedenti, & essentiam diuinam ut participabilem in esse & in perfectionibus essendi à creaturis) sub priori ratione habere propriam causalitatem exemplarem, & ut sic intendi conformitatem creaturarum ad ideas, non secundum habitudinem earum ad finem, sed ad mensuram & regulam: sub posteriori autem ratione habere essentiam diuinam rationem finis, & sic etiam intendi similitudinem creaturarum ad Deum, ut ad suum finem. Nam sub priori ratione intenditur ut creatura talis sit, qualis repræsentatur in idea: sub hac vero posteriori intenditur ut ipsa repræsentet diuinū esse & diuinam perfectionem quantum potest: & ideo posterior habitudo nō est ad Deum ut ad exemplar, sed ut ad finem.

VI.

Tandem hinc censeo conuenientissime dici, in actionibus & effectibus Dei, ut sunt ab ipso, nihil extra eum exercere posse causalitatem exemplarem propriè sumptam, sed ipsum esse singulare exemplar omnium suarum actionum & effectuum, quia nihil extra ipsum potest esse regula & mensura actionum eius, ut ab eo sunt. Vnde si aliquando dicitur aliquid creatum, esse exemplar alterius, ut Christus in quantum homo dicitur exemplar iustorum hominum, vel intelligendum est late de exemplari quasi materialiter, prout induit rationem finis proximi: sic n. potest dici Christus exemplar, quia in eius honorem alii iusti efficiuntur similes illi. Vel exponendum est respectu causarum secundarum: quo etiam modo Christus dici potest exemplar hominum, quia propositus illis est ut in illum tanquam in exemplar respiciant, quod imitentur.

Proponitur sententia reducens exemplar ad causam formalem.

VII.

Missis ergo causa materiali & finali, de aliis duabus est controuersia inter auctores. Multi enim reuocant exemplar ad genus causæ formalis, crediturque esse opinio Aristot. qui numerando causas simul cum formali exemplarem nominauit. Et hanc

opinionem tenet Albertus in 1. distinct. 20. articulo primo. Caiet. prima parte, q. 6. a. 3. in fine, & q. 4. a. 3. Thomas de Argent. in 1. dist. 45. a. 2. Sumitur ex Durando ibi quest. 2. quatenus negat exemplar pertinere ad genus causæ efficientis. Idem tenet Aegid. proposit. 37. de Eucharistia. Hi auctores supponunt exemplar concurrere solum ut obiectum cognitum, ad cuius imitationem agens aliquid operatur: & ideo non putant posse habere efficientiam, & hinc concludunt habere formalem causalitatem extrinsecam, quæ in hoc solum consistit, quod per imitationem passiua concurrat ad dandam similem formam & speciem effectui. Imo sunt qui censent exemplar non reduci ad genus causæ formalis intrinsecum, sed constituitur per se & directè nouum genus causæ formalis extrinsecæ: quod sentit Henr. quodl. 9. q. 2. quem nonnulli moderni sequuntur. Et quidem supposita priori parte, satis consequenter loquuntur: nam licet exemplar in nomine conueniat cum forma, vel ipsum nomen idem præ se fert, & supra ex Aug. notauimus, tamen in causando habet longe diuersam rationem. Nam forma informans est intrinseca, & pars essentialis compositi: exemplar autem est forma extrinseca: vnde ex hac parte magis inter se differunt quam materia & forma, & non minus quam forma efficiens & forma facta, nam etiam forma efficiens est forma, & est causa extrinseca, cuius participatio est forma informans ab ea procedens: ergo si exemplar est causa formalis extrinseca, tam constituit nouum genus causæ sicut forma efficiens.

Præferitur sententia, exemplar ad causam efficientem reuocans.

Mihi tamen magis probatur sententia eorum, qui negant exemplarem causam constituitur proprium genus causæ, sed illā pertinere dicunt ad causam efficientem. Quam tenent Aletis prima parte quæstione 23. memb. 4. articulo primo. Bonauent. in 3. distinct. 11. articulo primo, quæstione 3. Scotus in 1. distinct. 2. quæst. 2. & distinct. 36. articulo primo, & ibi Heruæus quæstione prima. Et primo probatur hæc opinio ex mente Aristotelis, cui opposita sententia, videtur modeste contradicere, quia constituit quintum genus causæ distinctum ab his quæ Aristoteles numerauit. Nam licet exemplar nomine formæ appellent, tamen re vera est causa non minus diuersa à forma informante quam sit forma efficiens, ut explicando ipsammet sententiam declarauimus illaque conuenientia cum forma vix est plus quam in nomine, nam ratio est longe diuersa, cum altera sit forma essentialiter & intrinsecè constitutens rem, alio verò modo solum dicatur forma, quia extrinsece repræsentat aut mouet ad faciendum aliquid sibi simile. Vnde Aristoteles non in hoc sensu exemplar cum forma numerauit, sed vel quia idem nomen quo utitur, idem significat generatim quod forma, vel quia (prout ipse refert) Plato ita ponebat ideas formas exemplares, ut in eis constitueret rerum essentias & species. Adde quod Aristoteles semper numerat inter causas efficientes ipsam artem, sub qua exemplar comprehendit: vnde in 7. Metaphysicor. dixit sanitatem extra fieri efficienter à sanitate quæ est in mente, id est ab exemplari sanitatis.

Secundo videtur illa sententia fundata in falso principio, scilicet quod exemplar sit res aliqua obiectiue & directè cognita, ita ut in illa per se primocōsistat ratio causæ exemplaris: nam hoc falsum esse ex dictis præcedente sectione constare potest. Et declaratur præterea in hunc modum, nam in artifice creato non est per se necessarium tale exemplar: illud enim quod humani artifices solent exterius sibi effingere, solum est adminiculum quoddam, quod iuuat ad rem interius concipiendam, & memoriam conseruandam: vnde si absque tali obiecto sensibili pos-

sunt exacte domum faciendam concipere, & interi-
us presentem habere, non indigerent illo extrinseco
exemplari. Rursus neque etiam interius est per se ne-
cessarium aliquod obiectum distinctum ab effectu
arte faciendi: nam licet in hominibus regulariter ita
contingat, tamen (vt supra argumentati sumus) &
illa distinctio est quasi per accidens, quia artifex non
intendit effectum nisi quatenus est omnino idem, &
in eo quod est diuersum, non procedit ex causalitate
exemplari. Et præterea id non est vniuersale in arti-
fice creato vt sic: Angeli enim etiã possunt facere res
artificiales, & non oportet vt eas confuse concipiant,
sed distincte, & eadem numero quas affingunt. Et
Christus Dominus in quantum homo, si aliquid ar-
tescit operari voluisset, ad nullum aliud obiectum
respicere nisi ad ipsummet in indiuiduo distincte
cognitum, quod esset facturus. Non est ergo per se
hæc causalitas ab obiecto distincta, neque etiam potest
esse ab eodem numero, vt in superiori sect. ostensum
est, & à fortiori probari idem potest de ideis diuinis
exsuperius dictis: ergo non consistit hæc causalitas
in illa veluti informatione extrinseca, quæ est quasi
per comparationem & imitationem vnius formæ
ad aliam.

Ad præterea, etiam quando interuenit extrin-
secum exemplar distinctum, nihil per se efficere cir-
ca effectum artis, quod possit habere propriam ra-
tionem causalitatis realis, & verè ac per se dici possit
causalitas formalis. Nam si loquamur de sensibili
exemplari, illud primo ac per se mouet ad sui noti-
tiam, & in eo genere concurrit efficienter tanquam
obiectum motuum. Deinde potest mediata moue-
re ad concipiendam vel efficiendam aliam rem si-
milem, vel proportionalem, & quoad hoc etiam
comparatur per modum finis, vel efficiētis remoti,
& fere per accidens. Nam si res attente consideretur,
per se solum mouet ad sui conceptionem, ex qua in-
tellectus aliam rem similem fabricatur, seu concipit,
& per voluntatem intendit illam efficere, quod si ip-
sam voluntatem tale obiectum moueat, vt quando
imago, quæ placet, mouet ad faciendam aliam simi-
lem, & motio ad finem pertinet, non ad exemplar.
Nulla ergo causalitas ibi interuenit, quæ mereatur
nomen causalitatis formalis. Præterea vel illa causa-
litas est circa conceptionem intellectus, & hoc non:
quia respectu illius potius est efficiētia obiectiua, vt
dictum est: vel est circa rem artefactam: & hoc etiam
non: tum quia respectu illius valde remotè se habet
tale exemplar: proxime enim non regulariter artifi-
cium, nisi iuxta conceptionem mentis: tum etiam
quia (seclusa causalitate finis) quod artifex intendat
aliquid simile effectum extrinseco obiecto, solū est ha-
bitudo vel denominatio extrinseca proueniens ab
actu voluntatis eius, & non addit effectui essentialē
dependentiam ab alio obiecto, quæ ad genus causæ
formalis pertineat: imo neque ad vilius genus cau-
sæ per se, nisi fortasse, vt dixi, talis representatio vel
similitudo sub ratione finis intendatur. Artifex e-
nim per se solum intendit talem formam inducere
in suum effectum, ad quod per se solum indiget pro-
pria conceptione illius formæ: quod vero hæc for-
ma assimilatur alteri extrinseco, per accidens est ad
causalitatem artis vt sic: ergo & ad causalitatem ex-
emplaris. Atque hæc ratio probat de cognitione cu-
iuscunque alterius obiecti creati, siue particulari, siue
vniuersali seu confusa.

In Deo vero potest videri intercedere specialis ra-
tio, quia Deus non cognoscit creaturas à se faciendas
nisi in essentia, & per essentiam suam: & hoc est illi
per se. Sed nihilominus, quamuis nostro modo in-
telligendi essentia sit veluti medium ad cognoscen-
das creaturas, tamen in ordine ad operationem ad
extra Deus per se non operatur vt cognoscens præ-
cisè suam essentiam, sed vt cognoscens creaturas ip-
sas, quas est producturus: & ideo ille ordo secundū

rationem qui est per se inter essentiam vt cognitam,
& creaturas vt cognitatas, scilicet quod essentia est ra-
tio cognoscendi creaturas, respectu causalitatis ex-
emplaris creaturarum est remotus & per accidens:
ergo ratione illius non potest essentia vt cognita di-
ci causa formalis extrinseca creaturarum. Vnde si
verum esset, quod multi opinantur, essentiam diui-
nam non esse rationem cognoscendi creaturas vt me-
dium seu vt obiectum cognitum, sed solum vt spe-
culum, seu tanquam speciem intelligibilem eminē-
tissimam, quod ad causalitatem exemplarem attinet
nihil referret, nam æque bene posset Deus sua arte
increate producere creaturas, quales concepit: ergo
quod illa cognitio creaturarum secundum rationem
intelligatur à nobis orta ex cognitione essentiae, vt
causæ eminenter continentis creaturas, est remotū
quid, & quasi per accidens ad causalitatem exempla-
rem. Maxime cum superius ostensum sit, non posse
essentiam vt cognitam præcisè absque creaturis for-
maliter cognitis, veram rationem exemplaris habere,
& neque etiam possit inter cognitionem essentiae
præcisè, & cognitionem creaturarum in essentia alia
cognitio quali media intelligi, quæ dicatur cognitio
essentiae vt participabilis à creaturis, quia, vt supr. et-
iam dicebam, hoc nihil aliud est quam cognoscere
creaturas, vt participatiuas essentiae (vt sic dicā.) Su-
perest igitur vt propria causalitas exemplaris non sit
in aliquo obiecto cognito distincto ab effectu, qui ad
illius imitationem fit: ergo non erit eius causalitas
formalis, quandoquidem ob solum illam obiectiuā
seu passiuam imitationem ad illud genus pertinere
dicebatur.

Vltimo probatur directe, causalitatem exemplaris
ad efficiētiam pertinere. Primo quidem, quia ars est
principium efficiendi: vnde Arist. agens de causis ait
Polycletem esse causam per accidens statuarum, statua-
rium autē esse causam per se, quia nimirum formaliter
dicit artem, quæ est principium per se illius effe-
ctus: sed ars non causat nisi mediante idea: docet enim
ars fabricari in mente tum rem efficiendam, tum
etiam viam & modum exequendi illam: atq; in hunc
modum est principium artificiosi effectus: vnde D.
Thomas 3. part. quæst. 78. articulo 2. sic ait: *Forma arti-
ficialis est similitudo vltimi effectus, in quem fertur intentio
artificis, sicut forma artis in mente adificatoris est forma do-
mus adificatae principaliter, adificationis autem per conse-
quens: Ergo etiam ipsum exemplar comparatur ad
artificem vt proxima forma per quem suo modo o-
peratur: sicut ergo forma agentis ad efficiētem cau-
sam pertinet quatenus est illi principium agendi, ita
& exemplar quatenus est forma artificis, qua opera-
tur, ad efficiētem causam pertinet.* Quod etiam
conformat communis modus loquendi Philosopho-
rum, & Theologorum: sic enim aiunt exteriorem
domum procedere à domo, quæ est in mente artifi-
cis, sicut de sanitate supra ex Aristotele referebamus:
& Diuus Thomas quodlibet. 7. articulo tertio, sic in-
quit, *Similitudo rei cognite dupliciter est in cognoscite: v-
no modo sicut causata à re, alio modo sicut causare, vt pa-
tet in artifice, qui cognoscit artificiatum per illam formam,
per quam ipsum facit.* Ex quo inferius inferit, rationes i-
deales in mente Dei existentes, esse efficaces ad cognoscenda
singularia quorum sunt causa. Idem repetit quodlibet. 8.
art. 2. & simili modo loquuntur de ideis diu. Dio. c. 5.
de diuin. nominib. & Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei, c. 25.
Vocant enim eas efficiētes rerum. Et propter eandē
causam dicunt Theologi, Deum esse causam efficiē-
tem rerum per intellectum & voluntatem: intelle-
ctus enim & scientia non causat ad extra nisi per ide-
am: ergo si scientia est principium efficiendi ad extra,
etiam exemplar.

Vnde confirmatur, nam ad actionem artificis tria
concurrunt, ars, voluntas, & potentia exequens, sed
voluntas, vt mouens potentiam exequentem perti-
net ad genus causæ efficiētis: ergo & ars vt dirigens
& de.

XII.

XIII.

& determinans illam: dirigit autem & determinat mediantem exemplari: ergo exemplar ad idem genus causæ pertinet: Confirmatur præterea, quia sicut agens naturale completur in ratione principii agendi per formam, ita agens intellectuale completur in suo ordine per exemplar, nam sicut agens naturale per formam continet similitudinem effectus, & determinatur ad illum, ita agens intellectuale per exemplar habet in se similitudinem effectus, & recipit quandam determinationem ad illum, saltem quoad specificationem; nam quoad exercitium non determinatur per solum exemplar: & ideo indiget voluntate: ergo pertinet exemplar ad genus efficiētis causæ tanquam forma suo modo complens quoddam genus causæ efficiētis, scilicet intellectuale seu artificiosum.

XIV.

Dices: Eadem ratione dici posset, finem non constituit proprium genus causæ, sed complere quoddam genus efficiētis, ut sit sufficienter constitutus ad agendum nimirum intellectuale agens, quod nisi à fine moueatur aut determinetur, agere non potest. Respondetur negando consequentiam, quia finis non comparatur ad agens ut constituit illud proxime aptum ad agendum, sed potius supponit illud ita constitutum, & mouet ut agat: at verò exemplar non supponit completè constitutum quoad suum peculiarem modum agendi, nimirum artificialem seu intellectualem. Deinde finis ut sic comparatur ad effectus secundum quendam peculiarem modum dependentiæ, quem ab illo habent, quatenus propter illum sunt: exemplar autem non habet peculiarem habitudinem per se ad effectum, nisi solum quatenus dirigit vel determinat actionem agentis. Quocirca, sicut voluntas agentis non constituit per se nouum genus causæ, sed determinat talem modum agendi, scilicet, voluntariè, ita scientia, vel ars, seu (quod idem est) exemplar non constituit nouum genus causæ, sed complet peculiarem modum efficiendi, scilicet artificiosè.

Corollaria precedentis d. Arina.

XV.

Atque hinc potest obiter alia ratio colligi, cur Aristoteles simul cum forma exemplar nominauerit: est enim exemplar forma quædam non tam respectu rei per illud efficiendæ, quam respectu ipsius artificis: quem suo modo informat, & constituit in suo genere in actu, ut sit sufficiens ad agendum. Quod si respectu rei exemplatæ exemplar vocatur forma, non est propter causalitatem formalem, quæ circa illud habeat, sed quia illud in se aliquo modo continet per modum imaginis, seu in esse repræsentatiuo: omnes autem imagines solent formæ appellari: unde etiã quarta species qualitatis vocatur forma & figura.

XVI.

Secundo obiter etiam intelligitur vulgaris illa distinctio triplicis formæ, à qua, ex qua, & ad quam; nã per has voces nec significantur tres formæ distinctæ neque etiam tres causalitates formales distinctæ: sed tantum tres habitudines, quæ possunt eidem formæ respectu diuersorum conuenire. Nam eadem forma ignis, quatenus est principium à quo procedit alius ignis, dicitur forma à qua: quatenus verò ipsum ignem generantem in suo esse constituit, dicitur forma ex qua: quatenus verò ad eius similitudinem fit forma in genito, dici potest forma ad quam. Vnde illa particula à qua, denotat habitudinem efficiētis causæ: ex qua, habitudinem causæ formalis intrinsecæ: ad quam, quamuis censetur denotare causam exemplarem: tamen re vera est æquiouoca; nam ignis propriè generat ignem ad sui similitudinem, & tamen forma eius non est exemplar. Vnde per illam particulam potest in illa forma denotari habitudo causæ finalis, sicut supra ex D. Thom. referebamus, quodlibet agens naturale agere propter se ut finem, quate-

nus agit, ut effectum sibi similem producat, in quo conferretur saltem secundum speciem, vel in quo eius perfectio aliquo modo repræsentetur, si generalius de agente loquamur. Et iuxta hanc considerationem vniuersalè, omnis forma à qua, est etiam ad quam, sub diuersa ratione causæ extrinsecæ, & sine causalitate formali. Ut ergo forma ad quam peculiariter dicatur de exemplari causalitate, subintelligendum est, esse formam proximè regulantem effectum ad quem dirigitur propria intentio agentis, & ideo dici potest ad cuius normam fit effectus. Vnde sicut forma à qua, non ita appellatur, quia causalitatem formalem exerceat circa effectum, quia est ab ipsa, sed quia est forma ipsius causæ, ita quauis exemplar dicatur forma ad quam, non oportet intelligi ita appellari quia causalitatem formalem exerceat respectus eius quod ad illius imitationem fit, sed respectu artificis quem informat, nisi latius dicatur forma, non ob causalitatem, sed ob repræsentationem. Cum autem dicimus exemplar esse formam artificis, ita accipiendum est, sicut de forma agentis: nam in artifice, vel agente creato est verè forma: in increato vero solum est forma nostro modo intelligendi, seu habet quiddam perfectionis in forma, secus imperfectione, id est, intrinsecæ causalitate seu informatione.

Tertio intelligi potest ex dictis, cur causa exemplaris distingui soleat ab efficiente, si & ipsa efficiens est; nam & hoc etiam obici potest contra nostram sententiam: sicut D. Th. 1. p. 4. q. 4. cum ar. 1. & 2. ostendisset Deum esse causam efficientem omnium in art. 3. inquit, an Deus sit causa exemplaris. Dico tamen exemplarem causam non tam esse distinguendam à causa efficiente, quam sub causa efficiente, vel sub his formis aut conditionibus, quæ constituunt peculiarem genus efficiētis. Vrin dicto exemplo, potestquam constare Deum esse causam agentem, idem est querere an sit agens per intellectum, & an ex se habeat quiddam necessariū est ad illum causandi modum. Verum est tamen, si vim nominum attendamus, causam exemplarem non dici de omni agente, quod per exemplar operatur, sed de sola forma, quæ habet vim & rationem exemplaris, artifex enim non dicitur causa exemplaris artificiali, sed habere exemplar, aut operari per exemplar, quia exemplar significat quasi in abstracto ipsam formam. At verò Deus quia per seipsum scit & repræsentat omnia, ideo simpliciter dicitur causa exemplaris omnium.

Vltimo tandem constat ex omnibus dictis hoc genus causalitatis propriè & intrinsecè in solis agentibus intellectualibus reperiri, quatenus ad extra aliquid operantur per artem seu scientiam suam. Vnde perfectissimè reperitur in Deo, imo in illo solo est hæc causalitas respectu substantiarum omnium & accidentium omnium naturalium, ut supra etiam tactum est, quia nulla creatura intellectualis per se potest aliquid huiusmodi per artem facere, sed ad summum per accidens applicando actiua falsiuis. Vnde solum rerum artificialium potest inueniri propria exemplaris causalitas in agentibus creatis. Et respectu etiam eorum Deus habet vim & proprietatem primæ causæ exemplaris, non solum quia prima exemplaria etiam ipsorum artefactorum sunt in mente diuina, sed etiã quia per ea actu influit, & immediatè in suo genere cum omnibus inferioribus artificibus. Imo sub hac etiam ratione omnes actiones & effectus causarum naturalium immediatè sunt à diuina causa exemplari, & sub ea ratione seu in eo genere non habent aliam propinquiorem causam: nã sicut Deus immediatè per potentiam suam ad omnes illas actiones conuenit, ita per suas ideas eas dirigit, atque hoc modo, sicut Deus est causa prima & immediata omnium actionum in genere efficiētis & finis, ita & in ratione exemplaris.

DISPY.